URKUNDEN UND ACTENSTÜCKE

ZUR

GESCHICHTE DER VERHÄLTNISSE

ZWISCHEN

ÖSTERREICH, UNGERN UND DER PFORTE

IM

XVI. UND XVII. JAHRHUNDERTE.

AUS ARCHIVEN UND BIBLIOTHEKEN.

GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I.

1528.

WIEN.

IN COMMISSION BEI SCHAUMBURG UND COMP.

GEDRUCKT BEI A. STRAUSS'S SEL. WITWE.

1840.

Vorwort.

Die hier mitgetheilten Actenstücke, sämmtlich belegende, berichtigende oder ergänzende Beiträge zur Geschichte der zweiten Gesandtschaft König Ferdinands I. an Sultan Suleiman I. (der ersten vor ihn gelangten), sind noch nirgend gedruckt, und dürften vielleicht nicht unwillkommen seyn.

Sollten sie günstig aufgenommen und für die Wissenschaft benützt werden, so ist meine Absicht vollkommen erreicht und meine Mühe am schönsten belohnt.

Wien, den 15. Mai 1840.

Anton von Gévay,
Scriptor an der k. k. Hofbibliothek.

BERICHT

IOHANN HOBERDANACZ'S

AN

KÖNIG FERDINAND I.

(INNSBRUCK, 19. FEBRUAR 1529.)

Aus dem von Johann May, Propste von Zwetl und königlichem Secretäre, nach dem von Johann Hoberdanacz wahrscheinlich nur mündlich abgestatteten Berichte zu Papier gebrachten Concepte mit der Aufschrift: Habardanecz legatio, *im k. k. geheimen Haus- Hof- und Staats-Archive.*

Anno a Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo vigesimo octauo die xxix mensis Maij Egregij D. Iohannes Habardanecz de Zalathnock et Sigismundus Weixelberger Nuntij et Commissarij Serenissimi et potentissimi principis et domini domini Ferdinandi dei gratia Hungarię et Bohemię etc. Regis et domini nostri clementissimi ad potentem Turcarum dominatorem Selymum destinati in Ciuitate Constantinopolitana accesserunt Capitaneum illius supremum nomine Ibraim Bassam eique post salutationem conuenientem obtulerunt munera et recesserunt ad hospitia.

Tertio deinde die quę fuit festum Penthecostes Turci potiores equites numero quadraginta è Curia Cęsaris venientes conduxerunt Nuntios Regios ad Cesarem Turcarum quem ambo equites accedebant portatis ante se muneribus, Plateę tres quattuorue per quas ipsis eundum erat, refertę gentibus fuere, Primam Cesareę aulę portam Stipendiarij Cesaris insidentes equis ac bysso purpuraque omnes induti asseruabant, inter quos collocati erant elephanti duo pannis coperti, Secundam vero portam familiares Ianicerorum, quos Stipatores nos dicimus, tam equites quam pedites custodiebant, Ad tertiam deinde portam progressi, ab equis suis descenderunt, quam tenebant Ianitores ab vna et ab altera parte Capitaneus Ianicerorum vulgo vocatus Aga, quem vltra mille Ianiceri purpura et auro induti scupheisque auro et serico intextis redimiti circumstabant eumque primum et cęteros pro more gentis Turcicę salutarunt, Illos postea sequebantur ordine Solchtari filij nobilium educati in Curia Cesaris. Quibus quidem Nuntijs ad cesarem recta contendentibus obuiam ierunt tres Bassę scilicet Ibraim, Aias, et Cassom nomine, penes Cassom Bassam vulgo Beglerbeck dictum est ius conferendi omnia offitia, Illos deinde secuti sunt duo quorum alter Chaus Bassa idest ductor et Capitaneus instruendi exercitus, alter Capicziaga vtpote Magister Ianitorum, vterque ferens in manu baculum argenteum, Basse tres antecedentes eosque duo illi cum baculis argenteis insequentes nuntios regios duxerunt in aulam quandam quattuor columnis marmoreis substructam

ac tapetis et auleis instratam in qua ex ordine sederunt tres Bassę qui nuntios Regios ex opposito eorum sedere iusserunt, Iuxta Ibraim Bassam ad sinistram sedit Pontifex omnium Sacerdotum Turcicorum barba oblonga et senex qui vocatur Sech quem per ordinem sequebatur Lescherschadia idest Iudex Curię, Iuxta Cassom Bassam a dextro Hussaincelebi qui et Theuterdar appellatur nempe Cancellarius, cui assidentes bini Secretarij papyro et atramento singula notabant a Nuntijs prolata, Ab altera parte aulę quę cancellis distincta erat plus quam viginti personę de communi consilio sedebant, quos singulatim duo ministri lagenas binas è corio factas afferentes potabant nimirum ne inter audiendum tędio sitique deficerent, Supra Bassas fenestella quedam cancellata conspiciebatur in qua Imperator occulte sedens audiebat Legatorum petita, putans se neutiquam videri.

Facto itaque communi omnium silentio Ibraim Bassa Nuntios primum sciscitatus est, Quonam pacto in via tractati fuissent, et num ne abunde habuissent victualia. Responderunt Nuntij, Se bene tractatos fuisse cunctaque copiose habuisse sicut decet in tam potentis Imperatoris prouintijs. Interrogauit eos denuo Ibraim Bassa, quantum temporis spatium esset quo digressi essent à Rege suo. Dixerunt mensem cum dimidio elapsum esse. Idem Ibraim. Ex quo loco in Turciam profecti, et vbi reliquissent Regem dominum suum. Responderunt, ex Strigonio se discessisse, inibique Regem dimisisse. Ibraim iterum interrogauit. Strigonium ne ad Germaniam vel Hungariam pertineret, moxque interrupto sermone petijt vbi nunc esset Rex eorum. Responderunt Regem suum potentissimum in Germaniam iuisse, vbi plures alias habet prouintias. Inquit Ibraim. Non interrogamus de Rege Hungarię sed de Rege Bohemię et Germanię, Nam quum Ludouicus olim Hungarię Rex potentissimi Imperatoris Turcarum armis in bello ceciderit alium qui nunc sit nescimus. Ad quę nuntij regij in hec verba responderunt. Sciatis nos venisse a Rege Hungarię Bohemię Dalmatię Croatię Sclauonię Ramę Seruię Lodomerie Galitię Cumane etc. quibus regnis omnibus Serenissimus et potentissimus dominus Rex noster clementissimus ex nutu diuino prędest et imperat. Dixit Ibraim subridens. Non ægreferatis quod vos de ijs interrogamus quę ad Cesarem pertinent et de quibus ipsi duntaxat vobiscum esset contractandum. Petierunt Nuntij, de quibus ne sibi cum Cesare tractandum esset. Respondit Ibraim. De Regimine Hungarię. Dixerunt Nuntij, Se ad hoc non venisse, sed a Rege suo missos esse vt videant sanitatem Cesaris Turcarum et de illa atque ob id etiam gratu-

lentur ei quod deus dedisset illum maiestati suę regię propiorem vicinum quam antea, Et ideo se de regimine Hungarię ad prȩsens nihil implicare velle cum rex et dominus eorum Hungaria partibusque eidem subiectis per dei optimi Maximi clementiam plene nunc potiatur et fruatur. Interrogauit eos Ibraim Bassa, Quonam iure potiretur rex illa, cum Cesar Turcarum Budę fuerit eamque et potiorem Hungarię partem deuastauerit, sibique armis et potentia subiecerit. Responderunt Nuntij quod quando in conspectu Cesaris constituti fuerint et necesse et placitum sit intelligere, quo iure rex Vngaria pertinentijsque eiusdem potiatur, se dicturos, vbi dubio procul ipsum Ibraim interfuturum existimabant. Quos Ibraim interrogauit hijs verbis. Scitis ne Imperatorem Turcarum Budę fuisse? Responderunt. Scimus, et quidem signa reliquit quibus adhuc cognosci potest eum illic fuisse, quippe cum totam eam Ciuitatem et loca adiacentia exusserit et dirui fecerit. Interrogauit Ibraim. Castrum Budense quomodo staret. Responderunt integrum esse nihilque damni accepisse. Interrogauit eos iterum in hec verba. Qui Castrum Ciuitate destructa et exusta integrum et incolume vident quid dicunt? aut quam causam esse opinantur, quod hoc solum a calamitate et ruina seruatum fuerit, Ciuitas autem perierit. Responderunt. Audimus multos multa loquentes, laudantes in vniuersum potentissimum Cesarem et Consiliarios suos qui licet in manu teneret Arcem et Ciuitatem Budensem arcemque simili modo quo Ciuitatem aliaque oppida et loca perdidit euertere et perdere posset noluit tamen cum id è dignitate sua Cesarea minime fore censeret, Cumque legatur alios Imperatores et reges inter se pugnantes depopulatis vndique prouintijs Ciuitatibus et arcibus imperio illorum subditis Sedi regię et nido pepercisse eaque nequaquam subuertisse, Sepius enim Reges amicitia coalescunt sæpenumero inter se inimicitias agunt, sine tamen sedium regalium subuersione aut iactura. Dixit Ibraim. Non est hec causa, sed quod Cesar sibi soli seruaret arcem, quam et nunc cum auxilio diuino sibi seruabit. Responderunt Nuntij. Quamobrem igitur tam nobiles Ciuitates Budensem et Pesthiensem atque alias euerti iussit dum hec in animo haberet et cum ex solius arcis prouentibus se nequeat sustinere? Ibraim. Commiserat Imperator et ego, idque trina vice per edictum publicum in exercitu proclamatum fuerat, ne quis Ciuitates Budensem et Pesthiensem succenderet, Sed in exercitu tam magno et numeroso secus fieri non potuit, omnes enim custodire et cohibere non erat possibile. Responderunt Nuntij. Cum in Turciam applicuissemus multas bonas

consuetudines vidimus sed inter ceteras prę̨clariorem et nobiliorem vnam. Quę̨siuit ex eis Ibraim quę nam hec esset. Responderunt. Timorem magnum generaliter in omnibus prouintijs et dominijs Cesari subditis. Nam cum Offitialis aliquis vel minimus nomine Cesaris quippiam mandat, subditi omnes illi absque vlla mora obtemperant et prę̨stant omnia non aliter quam si Cesar ipse prę̨sens esset. Ibraim. Verum est, et si baculum paruum misisset, identidem esset ac si Cesar adesset. Cui mox responderunt Nuntij, Si itaque tantus timor est in prouintijs Cesaris in eius etiam absentia, quomodo dicit dominatio vestra ter in exercitibus Cesaris proclamatum fuisse ne quis Ciuitates Budensem et Pesthiensem accendat, cum nemo sine mandato Cesaris vel dominationis vestrę maxime Cesare prę̨sente ausus sit illas accendere, atque eo magis quod tecta Ciuitatum illarum non fuerint straminea sed lapidea nec vna hora tam vastum incendium fieri potuerit imo ne per xv ferè dies euerti potuerint, quibus Ibraim nihil plane respondit. Sed aliam orationem inducens dixit Omittamus hec. Bene notum est vobis quod vbicunque stat pes equi Cesaris illa omnia sunt Cesaris. Responderunt Nuntij. Donum hoc dei longe maximum esset quo Cesarem prosequeretur, si omnem animi sui conceptum ad finem perducere posset, propter quod pro deo terrestri censendus esset, Audiuimus tamen neminem adhuc omnem intentionem suam compleuisse aut complere, nisi cui datum est a deo, quod nullus hominum hactenus facere potuit, quale est de alexandro Magno qui licet toti iam propemodum dominaretur orbi multas tamen insulas et loca obtinere non potuit, quo defectum quem humana patitur fragilitas testatum relinqueret, Deus enim hanc perfectionem nulli neque plus etiam alicui concedit quam vult et quod meretur. Nec Monarcham sicut Cesarem vestrum sed plures Mundi principes constituit qui regerent. Ibraim intuitus Habardanecz intulit, Ergo tu dicis Budam non esse Cesaris? Cui respondit Habardanecz dicens, Aliud dicere nescio quam quod Rex meus nunc Budam habet. Cui Ibraim. Quare ergo Rex vester vos animo contractandi pacem et amicitiam misit, si Budam et cetera tenet quę Cesar sibi subiecit armis. Responderunt Nuntij. Quę Castra Cesar vi et potentia occupauit, Rex noster non obsedit aut sibi subdidit, Sed Budam et reliqua Castra ex manibus illius eripuit qui falso iure regioque diademate indignus illis potiebatur, et cum audiret Regem nostrum appropinquare aufugit illaque vacua vel parum prouisa reliquit quę postea rex noster vna cum alijs quę ad eundem spectabant potenti manu sibi subegit. Imperator

autem si Buda potiri voluisset prȩsidia et signa sua in ea reliquisset sicut in alijs Castris fecit, Hac tamen potiri eum noluisse constat cum ea deuastata et concremata ad propria sit reuersus. Respondit Ibraim. Nec illa est ratio, sed hyems infesta quȩ prȩ foribus erat, et victualium defectus qui nos abire cogebat. Sed spetialem hominem suum Imperator dimisit nempe Erdelban idest Johannem Wayuodam (alio enim hunc nomine non dignantur Turci). Responderunt Nuntij. Nos Hungari hucusque ignorauimus quod Wayuoda ille ex consensu Imperatoris fuisset Budȩ, quia quando se fecit publicari in Regem tunc Hungaris non significauit quod cum consensu Imperatoris illic esset, sed conuocata parte procerum et nobilium regni eisdem proposuit quod si ipsum in regem eligere vellent haberet duos thesauros vnum acquisitum per patrem suum et alterum per semetipsum, et quod cum patris sui thesauro vellet breui recuperare omnia Castra per Imperatorem Turcarum ablata potentiȩque suȩ vbique resistere, cum altero autem a se congesto Regi Bohemiȩ et Alemaniȩ occurrere omnesque eius prouintias regno Hungariȩ subijcere et acquirere posset, Nobiles vero nihil minus credentes quam eum hec facere posse, consentire aut eum creare Regem noluerunt, Quo intellecto Wayuoda omnes proceres et nobiles illos in Castrum suum Tokay natura loci et arte munitissimum, quod habebat, ad colloquendum conuocari et congregari iussit, quibus intromissis statim serari castrum curauit, complicibus et satellitibus suis armatis occulte per singula illius loca dispositis, quibus Wayuoda denuo locutus eosque inhortatus est ut eum regni gubernio prȩficerent, Repetentes autem animo proceres et Nobiles Wayuodam defensioni tam vasti et inclyti regni ac eorum nedum non sufficere, eiusque vires potentiȩ duorum potentissimorum dominorum quos suis solius viribus debellare et deuincere se posse et velle iactitauerat, minime respondere, imo ipsum corona regia neutiquam dignum esse cum in eo generis et stemmatis regij claritas et sanguinis nobilitas quam maxime desyderaretur, restiterunt et petitionem ipsius refutauerunt, Veruntamen videntes se interclusos et exitu Castri prohibitos esse, petierunt alium diem et terminum colloquendi et deliberandi cum ceteris suis fratribus Amicis et nobilibus regni, quos hoc negotium æque ac ipsos concerneret, Commiserat autem Wayuoda complicibus et satellitibus antedictis, vt sicubi intellexissent ordines et optimates regni prȩsentes electionem respuere et reijcere, statim facto de mansionibus suis impetu erumperent vnoque omnium ore et voce eum Regem esse et debere acclamarent, minantes alijs quotquot

essent diuersum dicturi aut sensuri, palum, cædem, et sectionem in frustra, Eleuantes autem Iohannem ijdem complices sicut in Hungaria solent eleuare custodes syluarum proclamauerunt eum esse regem, quod tamen hactenus in Hungaria non est factum nisi de communi omnium regni ordinum procerum et Nobilium assensu, Qui ergo ex illorum ordine in Castro vt dictum est conclusi erant, reique illius atrocitatem nullumque amplius remedium prę manibus esse videbant, ex metu et vt vitę suę incolumitati consulerent assenserunt acclamationi, Corona vero qua reges Hungarię a multis seculis coronari consueuerunt, ad fideles illius manus data fuerat quam arripiens se cum ea, sicut voluit, coronari fecit, Proceres autem et nobiles postquam emissi et relaxati fuissent, scripserunt literas per omnes Comitatus ad vniuersos proceres et nobiles Hungarię eisque declarauerunt quo pacto negotium illud confectum esset, quibusque astutijs et fraudulentijs Wayuoda se coronari fecisset, Quo comperto Pręlati Proceres et nobiles alij qui extra castrum Tokay et violentam hanc electionem fuerant et a clade qua Rex Ludouicus interijt supererant, absque vlla mora conuentum omnium Comitatuum regni Hungarię ad Ciuitatem Posoniensem vbi tunc dominus Comes Palatinus regni qui primus debet eligere Regem sicut in Turcia Ianicaraga solet creare Imperatorem conscripserunt, In quo quidem conuentu concorditer et de communi ordinum et Statuum Regni ibidem congregatorum consensu elegerunt Serenissimum et potentissimum dominum Regem Ferdinandum dominum nostrum gratiosissimum ad quem sciebant regnum illud hereditario diuinoque et humano iure deuolutum esse eumque via agnationis, successionis, et tractatuum ac federum superinde initorum et conclusorum concernere, denique Regem ipsum ex imperiali et regali stirpe ortum, cui preter prenarrata iure optimo deberetur diadema regium cum sit sapiens diues virtuosus et potentissimus, Wayuodam vero nec de regia prosapia progenitum, nec etiam si habuisset tot diuitias quot sibi esse gloriabatur, Sede regia dignum, Ex quibus liquido apparet quomodo Wayuoda Budę fuerit, Quare igitur dominatio vestra dicit illum ex consensu Cesaris Budę fuisse? Nobis autem videtur, quod si potentissimus Cęsar voluisset Buda potiri, debebat alium Capitaneum meliorem illic relinquere quam ipsum Wayuodam, Nos enim Hungari parum vel nihil formidaremus aut doleremus si Nandoralbę tam bonum audacem et virtuosum Capitaneum dimisisset, quia absque periculo recuperaremus illam, nec dedisset occasionem confringendi et diruendi męnia machinis bellicis, sed aufugisset. Inquit Ibraim. Recen-

suisti plures domini tui virtutes, nobiles quidem si omnibus hijs prędítus sit et vtatur. Conuersusque ad Habardanecz dixit, Tu autem non es germanus. Respondit Habardanecz. Non sum. Interrogauit Ibraim. Per quod tempus seruiuisti domino tuo. Respondit Habardanecz. Ab eo quo electus est in Regem Hungarię. Ad quę Ibraim. Cum sis tam breui tempore cum eo quomodo scis eum esse virtuosum sapientem et potentem. Respondit. Si alter alteri per viam occurrat duoque aut tria illi tantum verba faciat facile cognoscere potest naturam alterius et ingenij sui qualitatem, Cur itaque deprehendere non potuissem tanto tempore regis animum. Ibraim. Significa nobis quam sapientiam in eo videris aut quomodo scias illum esse sapientem. Respondens autem Habardanecz cogitauit intra se et dixit, Ex eo potissimum quod cum maiestas sua multas a deo omnipotente victorias habuerit, plures item prouintias acquisiuerit et subiugauerit, nihilo factus est elatior, sed pro suo in maiestatem diuinam amore, timore, et cultu, animo submisso gratias illi pro tot tantisque benefactis et victorijs egit. Ibraim. Ecquid tibi videtur hęc sapientia. Respondit Habardanecz. In literis nostris et vestris habetur initium sapientię esse timorem domini. Inquit Ibraim. Certum est hoc. Sed quam aliam tu prętendis in eo scire aut deprehendere sapientiam? Respondit. Hanc scilicet quod Serenissimus Rex et dominus noster quęcunque negotia habet omnia bono et maturo consilio et deliberatione prębabita conficit, nihilque incipit cuius finem non preponderet et pensitet, iuxta illud Sapientis. Quicquid agis prudenter agas et respice finem. Dominus denique noster nihil reputat negotium, quod ad debitum finem perducere nequeat, nec quicquam inchoat, quod se finire non posse confidat. Ibraim. Si hoc facit laudabile et bonum est, Sed quam virtuositatem et audaciam in eo vidisti. Respondit Habardanecz. Dominus noster hanc habet audaciam quod quando hostem aggreditur audacter et absque timore illud attentat, etiam si viribus hostium sit inferior, nihil tamen mouetur ad retrocedendum, sed animose et cordate in illos inuehitur, quemadmodum ex multis bellis quę nuncusque gessit videri potest. Ibraim. Vbi fuerunt bella hec et consecutę ex eis victorię de quibus ad nos nihil est perlatum. Respondit Habardanecz. Vobis notum est dominum nostrum prouintias suas in magno spatio sitas habere, vbi complures Reges duces et principes sibi sunt vicini et collimitanei quorum ego vos ne nomina quidem audiuisse credo, cum sint longa viarum intercapedine a vobis seiuncti, Et per quos eiusmodi victorias cognoscere deberetis, et qui certe possent

et deberent eas referre, non audent intrare, profugos et captiuos ex partibus illis non habetis, sed illi qui intrant ad vos quique licet sciant certum rei euentum non referunt vobis, sicut in se est, sed alio modo et inuolucro exponunt vobis, cum sint aduersarij et hostes domini nostri. Credo tamen cum hucusque ignoraueritis hęc vos seorsim etiam ab hominibus vestris intellecturos dominum nostrum gratiosissimum deo sic volente Cesari Turcarum propinquiorem esse factum, nullumque adhuc inimicum domino nostro resistere potuisse. Ibraim. Dixisti quoque Dominum tuum esse diuitem. Recense nobis thesauros quos hunc habere ais. Respondit Habardanecz. Impossibile mihi fuit omnes thesauros domini nostri videre cum sim minimus seruitor maiestatis suę eademque sit sors mea fere quę est Curialium Cesaris Turcarum qui, preter Consiliarios aliquot et primarios, non sciunt omnes Imperatoris thesauros, Sed quantum ego vidi et cogitari potuit de diuitijs domini nostri libenti animo narrabo, quod dominus noster ex sanguine Imperatorum et Regum potentissimorum ortum ducit quorum si vnusquisque sibi mille saltem florenos legasset, maximum thesaurum accumulare potuisset, preter illos quos iampridem defuncti progenitores sui habuerunt, quique omnes ad manus domini nostri deuenerunt, ex quibus nescio maiestatem suam aliquid exposuisse, cum habeat multa regna et dominia maximi prouentus, et inter cetera prouintias duas ex quibus omnia necessaria per annum recipere et leuare, reliquos vero regnorum et patriarum suarum redditus et obuentiones reponere et residuare potest, Ceterum quando dominus noster Rex in Hungariam venit adduxit secum Curiam numerosissimam qualem nunquam hactenus vidi a tot ducibus Baronibus militibus et nobilibus frequentari, quorum tamen pars minima est eorum quos in alijs suis regnis et prouintijs habet, Hijs vero qui Curiam sequebantur cathenas aureas annulos et monilia pretiosissima esse continuamque solutionem fieri nec vllum in ea defectum esse vidi et cognoui. Ibraim. Quę est illa quam dixisti domini tui potentiam. Respondit Habardanecz. Quia prędest regnis et prouintijs permultis ducibusque Marchionibus et principibus compluribus imperat, et quod habet plures amicos et vicinos et omnibus ijs potentiorem fratrem eius Germanum Serenissimum et inuictissimum in toto orbe Cesarem Carolum Regem Hispaniarum et Imperatorem Romanorum. Ibraim. Non latet nos plures esse domino tuo prouintias, Sed dixisti eum habere multos amicos et vicinos potentissimos, nos autem longe aliter sentimus qui intelligimus omnes sibi fere esse inimicos eumque nullum habere amicum. Re-

spondit Habardanecz. Prouerbium tritum est, Infelicissimum principem sine ęmulis, et cui fauent omnes, Nam si princeps inimicis careret, non esset vnde potentię vires agnoscerentur. Ibraim. Vnde tu scis eum habere tot amicos bonos? Respondit Habardanecz. Dominus noster cum Hungariam intrasset multos oratores apud maiestatem suam vidi a diuersis Regibus et principibus bonis amicis et vicinis suis missos, qui multa pretiosa donaria Maiestati suę offerebant, et simul, vt accepi, maiestatem suam ex commissione dominorum suorum admonebant, quod si aliquibus subsidijs gentium pecuniarum et aliarum rerum indigeret, capitatim illi assistere et opem ferre vellent, Ex quibus deprehendi hos esse bonos amicos et vicinos, qui se tam propenso animo regi et domino nostro commendare non desinunt. Ibraim. Si ita est, bene habet. Age vero dimittamus hoc colloquium et adeamus Cesarem, Subiungens hęc verba. Vellem intelligere num ne amicitię vel inimicitię causa veneritis. Respondit Habardanecz. Serenissimus Rex et dominus noster a nullo pręsertim vicino suo sibi querit inimicitias sed à cunctis amicitiam postulat, Ob quam vero causam huc venerimus dominatio vestra in pręsentia Cesaris intelliget, Sed ex dictis nostris illa forsan arguit nos propter inimicitiam venisse, quod nihil est, Enimuero quę ad pręsens cum dominatione vestra collocuti sumus responsiones sunt particulares ad interrogationes dominationis vestrę factę nec quicquam connumerari merentur inter petita et legationem domini nostri. Quo dicto surrexerunt ituri ad Cesarem. Basse tres antecedebant quos sequebantur bini illi Capiczi et Chaus Bassę cum baculis argenteis vt ante declaratum extitit, assessoribus autem et auditoribus ex more salutatis ad Cameram Imperatoris concesserunt in cuius vestibulo pręsto fuere Ianitores qui a familiaribus Nuntiorum regiorum munera receperunt et ex ordine circumtulerunt vt ab omnibus conspicerentur, facto primum initio ab ostio per quod nuntijs intrandum erat in quo deinde etiam substiterunt donec Eunuchi septem nuntijs obuiam prodirent iubentes illa ad tabulam quandam stragula contectam deponi vt ea Cesar spectaret, Basse tres Cameram Cesaris intrantes suo more Cesarem salutarunt et diuerterunt ad partem, Capiczi vero et Chaus Bassa nuntios intromiserunt, ipsi vero ante ianuam manserunt. Nuntij in Cameram recepti salutarunt Cesarem, qui sedens dextramque in genu tenens sinistra lateri leuo iuncta toruum eos aspicere cepit, Ibraim vero Bassa dextram et Cassom Bassa sinistram nuntiorum manum continentes adduxerunt primo Habardanecz, deinde Sigismundum ad Cesarem vt illis porrigeret

manum eaque porrecta retrocesserunt ad locum sibi paratum vbi aderat Interpres.

Cepit itaque orare Habardanecz in hunc modum. Serenissimus et potentissimus et inuictissimus princeps et dominus meus gratiosissimus dominus Ferdinandus dei gratia Hungarię Bohemię Dalmatię Croatię Sclauonię etc. Rex salutat Maiestatem vestram illique tamquam vicino suo imprecatur et optat omne bonum. Quę sic retulit Interpres. Dominus illius se commendat maiestati vestrę veluti domino suo eique sua seruitia offert. Hoc intellecto Habardanecz interrogauit Interpretem, quidnam dixisset aut quomodo retulisset salutationem. Respondit se ita vt prędmissum est retulisse, a quo bis et amplius Habardanecz quęsiuit causam propter quam eo modo salutationem protulisset. Respondit Interpres ornatus gratia se id fecisse, cum arbitraretur eam hoc modo factam in auribus Cesaris et aliorum melius sonare. Ad que Habardanecz dixit, Se nolle, vt sic fieret, sed tenore puro et simplici, quo a se prolata fuisset. Moxque Cesar vtrumque scilicet Habardanecz et Interpretem oblique intuitus est, Ibraim autem ab Interprete petijt quidnam dixisset Habardanecz voluitque vt verbum verbo redderet prout ab Habardanecz dictum esset, et non aliter. Tandem Interpres Habardanecz salutationem simpliciter protulit. Iussus est Habardanecz ab Ibraim Bassa cetera si quę in commissis haberet proponere, Idque hoc tenore orsus est. Serenissimus et potentissimus dominus noster gratiosissimus Rex misit nos ad maiestatem vestram ad videndum sanitatem prosperitatem et augmentum illius de quibus eidem congratulatur, Hęcque illi misit donaria que maiestas vestra grato suscipiat animo, Dedit autem nobis in mandatis vt eidem maiestati vestrę significemus qualiter ex nutu diuino creatus sit Hungarię rex et nunc illi propior aliquanto quam antea esse ceperit, Aliud non existimans quam maiestati vestrę placiturum esse, vt tam potentem regem sibi in vicinum sortita sit, Prędterea Maiestas sua regia literas hasce maiestati vestrę misit quibus lectis commisit mihi nonnulla eidem ore referenda, quę si nunc per otium liceat exponam, vel in aliud tempus eidem congruum et opportunum differam. Sub hec Cesar ad se vocato Ibraim Bassę secreta quedam in aurem contulit, qui conuersus ad Nuntios quęsiuit ex eis causam cur Rex eorum animo tam insolenti se potentissimum declaret in facie Imperatoris Turcarum cum plęrique alij Reges Christiani se sub vmbram eius commendare et seruitia sua offerre non detrectent. Interrogauit eundem Habardanecz, qui nam reges illi essent.

Nominauit Ibraim potentissimos Reges Frantię, Polonię, Pontificem, Venetos et Wayuodam Transsyluaniensem. A quo et Habardanecz petijt, Numne ipsi prȩnominatos Reges affirmarent esse potentissimos. Respondit Ibraim. Ita sane, cum Summus Pontifex Reges Gallie et Polonię ac Veneti maiores et potentiores sint in tota Christianitate. Habardanecz respondit. Certum est Regem Gallię esse potentissimum in Christianitate, Sed et illud absque controuersia dicere possumus quod summus Pontifex tantum potest quantum duo tresue reges, Rex Polonię domino nostro affinitate iunctus est, huncque maiestati suę infensum esse non arbitramur, Veneti vero fuerunt potentes quamdiu adherebant Serenissimo domino Regi nostro, Inpręsentiarum autem quando Summus Pontifex Gallus et Veneti a potentissimo Romanorum Imperatore ac domino nostro fratre suo bello victi subacti et captiuati fuere, ac vtriusque potentiam sensere, tamquam male habentes ceperunt indigere medico quo Cesar Romanorum et Rex noster adhuc (deo sit laus) opus non habent, sed tantum cupiunt habere bonam amicitiam potentissimi (si modo velit) Turcarum Cęsaris. Ad hoc Ibraim. Et si nolit Cesar quid tum? Respondit Habardanecz. Dominus noster neminem ad amicitiam suam ingrato animo trahit sed oblatam ab aliquo non dedignatur, Ideoque confidit Cesarem Turcarum voluntaria et bona amicitia sibi iungi debere non violentia quę amicitiam tollit, Sed si Regem nostrum hanc consequi non valere contingat, necesse est accipiat et compenset etiam hunc animum ab Imperatore demonstratum. Quibus dictis, Ibraim causatus est Cesarem in prȩsens alijs negotijs magis arduis occupatum prȩsentibusque longius immorari non posse, Sed quod in crastinum vel perendie designare velit horam qua vel in prȩsentia Cesaris vel coram Commissario a maiestate sua deputando singula quę referre haberet, producere posset. Nuntij dimissi ac cum 300 equitibus honorificentissime ad hospitia sua sunt conducti.

Sequenti die feria secunda post festum Penthecostes Ibraim Bassa misso ad Nuntios Secretario quodam Imperatoris nuntiari iussit eis Imperatorem alijs nunc impeditum negotijs personali ipsorum audientię vacare non posse, sibi vero negotium omne commisisse. Ad quem Nuntij cum peruenissent et consedissent, interrogauit eos, quam ob causam spetialem missi essent aut venissent Nuntij. Responderunt Nuntij. Hesterno die inquirebat a nobis dominatio vestra, quo iure potiretur rex noster Hungaria et quare sibi Budam et totum illud fere regnum subiecerit cum eandem, vt ipsa asseruit, Imperator sibi vi subiugasse feratur, causamque ipsam etiam coram Cesare

referre volebamus, si placitum aut necessarium fuisset, si itaque dominatio vestra ad prȩsens hanc intelligere cupit breuibus eam absoluemus. Ladislaus Rex Vngariȩ et Bohemiȩ filium habuit Ludouicum Regem et filiam Annam Reginam quȩ nunc est Conthoralis Serenissimi Regis et domini nostri, Volens autem Ladislaus Serenissimo Regi nostro locare in matrimonium filiam suam conuocari fecit omnes Prȩlatos Barones Nobiles et Proceres regni Vngariȩ eisque congregatis proposuit se amicitiam et fedus indissolubile facere velle cum Serenissimo Rege nostro qui pariter habebat sororem Mariam quam Ladislaus rex filio suo connubij vinculo iungi cupiebat, Ita quod si casu quopiam Regem Ludouicum sine liberis et heredibus legitimis decedere contingat, Serenissimus et potentissimus Rex noster potiretur Hungariȩ regno partibusque eidem subiectis, et suo loco tamquam verus et legitimus Hungariȩ Rex succederet, Cum autem Ludouicus ille rex infelici bello suo a Cesare Turcarum ceciderit nullis post se relictis hȩredibus legitimis Iohannes Scepusiensis tunc Wayuoda Transsyluaniensis per quosdam complices suos prout heri diximus se in regem proclamari fecit, quo fugato Serenissimus rex et dominus noster Budam et alia Castra quȩ partim munierat partim parum aut nihil prouisa reliquerat communi omnium regni procerum et dominorum consensu ac etiam vti rex electus et verus successor armis occupauit. Hæc est ratio et ius quo Serenissimus rex et dominus noster Buda et regno Hungariȩ potitur. Quoniam vero quidam Serenissimi domini nostri regis Consiliarius et Cancellarius Leonardus Harrocher per medium dominationis vestrȩ literas saluiconductus a potentissimo Turcarum Cesare alias impetrari curauerat, super quibus Serenissimus rex noster Oratores suos ad eundem Cesarem causa bone amicitiȩ et vicinię ineundę et concludendę mitteret, idem Serenissimus dominus et rex noster vtprimum literę saluiconductus ad Maiestatem suam allatę fuere, statim et antequam regno Hungariȩ potiretur spetiales Oratores suos ad Cesarem destinauit qui inter viam casu inopinę ægritudinis et infirmitatis impediti sunt eorumque legatione intermortua Serenissimus ac potentissimus rex et dominus noster alios nuntios suos post adeptum regnum Hungariȩ ex suo arbitrio ac pro bona amicitia et vicinia confirmanda ad Cesarem mittere decreuit nosque ad id spetialiter deputauit pleno et sufficienti mandato suffultos, Quam quidem amicitiam et bonam viciniam Cesar si acceptare non detrectet, ab ea et Serenissimus dominus rex noster non abhorrebit, eaque inita et conclusa laborabit apud Sanctissimum dominum nostrum et Sacratissimum Romanorum

Imperatorem fratrem suum vt ij duo quoque potentissimo Turcarum Cesari sint futuri boni amici et vicini, Hanc vero Serenissimus dominus rex noster medio et opera dominationis vestrę apud potentissimum Cesarem prędatum cum ordine et commoditate fieri posse autumat, pro ea qua ipsa penes eum pollet autoritate. Quesiuit ex eis Ibrahim, Quo ordine via et modo illa cum Turcarum Cesare fieri deberet? Responderunt Nuntij. Habemus commissionem a Serenissimo domino rege nostro vt omnia quę licita et conuenientia sunt ex consilio et directione dominationis vestrę faciamus cum hactenus rex noster nunquam inimicatus fuerit Cesari nec Cesar Regi nostro, Et nobis etiam videtur dominationem vestram in hac legatione bene ordinanda et perficienda bonum modum et ordinem mediaque vtrique parti iusta et tolerabilia reperire posse. Petijt autem Ibraim a Nuntijs vt ipsi indicent modum talem per quem hec fieri posse arbitrentur. Nuntij repetierunt priora nempe quod iniunctum esset eis, vt omnia licita et congrua facerent ex nutu et arbitrio dominationis sue. Ad quę respondit Ibraim. Cesar Turcarum quę armis et potentia sibi subiecit, Rex vester sibi quoque subdidit, vosque nihilominus mittit ad tractandam bonam viciniam et amicitiam quę inter se dissident, mihique modum plane nullum patefaciunt cum quo vobis consulam. Responderunt Nuntij. Diximus ante quod Serenissimus Rex et dominus noster in ijs quę sibi bello acquisiuit nihil occupauit Castra et loca in manibus Cesaris Turcarum existentia, Sed credimus dominationem vestram in ijs bonum ordinem et modum reperire posse, modo voluerit. Ibraim. Existimo vos habere instructionem a domino vestro in qua proculdubio habetis sub qua conditione et quo pacto debeatis illam tractare vel assumere, Modum tamen hunc reperiri posse opinor si rex vester Hungaria cedere voluerit. Responderunt Nuntij. Cum dominatione vestra nobis nihil est disputandum, Sed si dominatio vestra cupit intelligere quo pacto illa tractari possit, recensebimus. Ibraim. Placet vt dicatis. Nuntij. Serenissimus rex et dominus noster amicitiam hanc non ad duos vel tres duntaxat annos atque eo pacto querit, vt illa leui quopiam rerum euentu irritetur aut renuntietur, sed quod illa ad iustum aliquod tempus maneat et perduret. Hancque bene fieri posse crederemus, si Cesar Turcarum Castra regno Hungariæ ablata et per ipsum Cesarem occupata restituat, Nam quousque Cesar hęc in manibus suis habebit prouintię Serenissimi domini regis nostri adiacentes et conterminę nullam pacem firmam inter se habere poterunt, sed vtrinque se perdent, et sic illa amicitia et bona vicinia neutiquam durabit

sed cumprimum lęsa fuerit, renuntiabitur, Aliud accedit, quod Cesar non denuntiatis regi Ludouico indutijs Castra quę nunc in Hungaria tenet, occupauit, quod et Regi nostro bene cauendum est, ne simile sibi vsuueniat. Ibraim. Quę sunt igitur Castra quę dominus vester sibi reddi petit. Responderunt Nuntij. Nandoralba, Sabacz, Salonkemen, Waradinum Petri, Wilack, Serewd, Athia, Redneck, Kewlpen, Irick, Zenthenether, Ratzha, Seuerinum, Pewth, Orzowa, Mihaldi, Iaytza, Zwetzay, Banjaluca, Tininium, Scardona, Vdwinum, Zadwinum, Nouigradum, Ostrowitza etc. Ibraim. Mirum cur et Constantinopolim non petierit. Responderunt Nuntij. Quę nominauimus pertinere cognouimus ad ditionem et regna Serenissimi domini Regis nostri, Constantinopolim vero per nos non petijt. Non dubium est autem nobis, quin regnum istud Grecorum repeteret, si ad maiestatem suam pertinere videret. Ibraim. Ingenue loquor, et sub fide mea vos requiro vt edisseratis nobis si per vos illud petierit. Responderunt. Dominatio vestra hoc sibi persuadeat quod si Maiestas sua vel hoc regnum vel alia maiora per nos petijsset, nullius etiam metus vel alterius cuiuscunque passionis respectu, reticere vellemus, sed certum est quod per nos minime petierit. Ibraim. Quod si Cesar hec Castra non restituat, ait ne se illa vi expugnaturum et recuperaturum. Responderunt. Secreta domini nostri nescimus nec minus quid in animo habeat quęrimus neque hoc a maiestate sua intelleximus. Ibraim. Num vos dicitis eum vi expugnaturum illa? Responderunt. Nescimus sed hoc nos non pręterit Dominum nostrum iuuenem potentem et animosum esse, equitare et armorum peritiam habere, animus autem et intentio sua nobis non constat, quia nemini secreta sua reuelat, nisi cui necesse est, sed si rancorem aliquem aut malum animum versus Cesarem haberet nos inpręsentiarum non misisset, sed quia bonum hucusque habuit, nos ideo pro tractanda amicitia et bona vicinia misit. Ibraim. Sub qua spe Rex vester illa sibi restitui petit cum bene sciat Cęsarem hęc non restituere eumque in occupatione illorum multas expensas et labores non sine multiplici sanguinis humani iactura et effusione fecisse et pertulisse. Responderunt. Dominus noster rex primam spem suam habet in deum omnipotentem a quo cuncta prospera sibi nuncusque largita sunt et concessa. Nec latet maiestatem suam quod Cesar in occupatione Castrorum illorum expensas fecerit laboresque et incommoda cum amissione virorum militarium et effusione sanguinis perpessus sit. Cum itaque dominatio vestra illis etiam interfuerit et sciat expensarum quantitatem ac incommo-

dorum et laborum qualitatem, petijt maiestas sua vt illa omnia dominatio vestra taxet et decernat, quantum licitum et conueniens fuerit, quod ipsa ad redhibitionem Castrorum esset solutura. Ibraim. Quo numero pecuniarum deberet Cesarem contentare pro huiusmodi restitutione? Responderunt Nuntij. Cum simus inscij rerum damnorum et expensarum quas Imperator in ijs fecit, et passus est, nescimus definire et taxare hanc summam, sed dominatio vestra nobis dicat quod conueniens fuerit et nos deinde deliberabimus quid sit faciendum. Ibraim. Credo Dominum vestrum pecunias multas habere quibus possit Cesarem pro restitutione Castrorum contentare, An ne vero putat eundem esse tam pauperem et indigum vt Castra quę armis acquisiuit, ex manibus suis pro pecunijs dimittere cogatur vel debeat? Responderunt Nuntij. Scimus dominum nostrum in pecunijs defectum nullum pati, Et hoc compertum habemus pecuniam hanc pro relaxatione Castrorum a maiestate sua non quod credat Cesarem ea indigere, oblatam esse, cum videat eum diuitem et potentem esse, vtpote qui tot tantisque regnis et prouintijs pręsit, sed quod (sicut et vos minime fugere arbitratur quantum sanguinis humani vsque ad hec tempora profusum fuerit Cesarque sit potens et nec minus ipse dominus noster multum possit et viribus excellat) maior deinde sanguinis iactura (si concordia et amicitia hec inter eos non intercedat) formidanda et expectanda caueatur, ne super hanc demum vtrique deus reddatur infensus, hoc pecunie offerendę medium reperit. Ibraim fenestram quandam aperiens ad Habardanecz ait. Vides ne septem illas turres quę plenę sunt thesauro? Responderunt Nuntij. Turres equidem bene videmus, sed quid in eis sit ignoramus. Attamen scimus Cesarem esse diuitem et potentissimum. Ibraim. Arbitror quod dominus vester habeat spem in Germanis et confidit in multitudine gentium suarum, Germanorum peritiam in bello non ignoramus et arma illorum scimus. Responderuut Nuntij. Impossibile est quod dominatio vestra sciat peritiam et arma germanorum cum nullum adhuc cum eis conflictum habuerit. Sed si dominatio vestra cupit per auditum rei veritatem de Germanis intelligere, interroget Regem Gallię Pontificem et Venetos qui aliquid certi de ijs (si modo velint) recensere possunt cum ipsos et arma eorum aliquoties sint experti, Ex responsionibus autem dominationem vestram non dubitamus illam peritiam et arma Germanorum pro tempore experturam. Ibraim conuersus ad Habardanecz dixit. Et tu scis arma Turcorum quam acuta sint et quantum penetrent, cum sepius tibi cum Turcis fuerit negotium

sępius etiam eos fugeris. Respondit Habardanecz. Verum est quod aliquoties fugi, sed multoties illi me fugerunt, Scio etiam qualia arma gentes Cesaris habent et quam acuta sint illa, Nec minus nota mihi sunt arma gentium domini mei quę si non vsque adeo satis dissecant et incidunt, attamen bene pungere possunt. Ibraim. Scio dominum tuum confidere in multitudine gentium, Sed si inter multas oues immissus fuerit lupus vnus, subito dispergit et perdit illas. Responderunt nuntij. Certum est hoc, Oues sunt tamquam gentes imperitę ad bellum non habentes bonum Capitaneum nec peritum, quę propterea a paucis vel vno tantum Capitaneo disperguntur, Sed et oues quę non habent bonum pastorem pigrum scilicet somnolentum et non vigilantem etiam a minori animali quam lupus est fugantur, Aliter vero se habet si habeant bonum pastorem qui cum videat lupum venientem statim illum in frontem percutit, vt cauda sit extrahendus. Ibraim. Quisnam est pastor qui talia faceret, quę impossibilia sunt? Responderunt. Apud deum nihil est impossibile, Nos autem ad proposita et interrogationes dominationis vestrę modo respondemus. Subintulit Ibraim. Ergo dominus vester Castra illa vult habere? Responderunt nuntij. Dominatio vestra iam intellexit opinionem nostram, et modum per quem nos arbitrabamur amicitiam et bonam hanc viciniam fieri posse, Quod si vero dominatio vestra censeat hanc cum restitutione Castrorum nullo modo fieri debere petimus ab ea, vt relicta etiam illorum restitutione nobis aliud medium bonum indicare velit per quod ipsa credat hanc constitui posse. Ibraim. Nullam aliam viam haberi posse censerem quam si rex vester cederet Buda et Hungaria quo facto nos deinde cum eo de Germania tractaremus. Responderunt nuntij. Hec domino nostro referemus si velit Buda et Hungaria cedere, Nos tamen tam facile hoc a domino nostro fieri posse aut debere non iudicamus. Ibraim. Superioribus annis dum potentissimus Imperator Turcarum in regno Hungarie esset venabatur et faciebat negotia sua, ego tamen tamquam Capitaneus Supremus expugnaui Nandoralbam ceteraque Castra et pugnaui cum rege Ludouico et nunc ibo ad prępparandum pontes Cesari et parabo viam maiestati suę. Responderunt Nuntij. Si dominatio vestra ire decreuit non venimus ad euocandam eam, et si omnino ire stet sententia, ne verbo quidem eam retinebimus, quod aperte illi reuelatum esse volumus, quę sine dubio reperiet quod querit. Ibraim. Negotia Cesaris nostri non aliter succederent quam si plueret super vnum montem, et guttę super cacumine illius primo cadentes seque postea successiuo aliarum auctu multiplicantes et coaugmentantes transitum per

defluuia facerent in aliquam montis concauitatem vel fossam, in qua si domus ampla et bene extructa sita esset possibile foret eam per aquę defluentis impetum subuerti, Ita et Cesar frater domini vestri licet habeat multos inimicos quibus cum tempore deuictis, habitoque tali incremento, possibile esse iudicamus vt in nos postea impetum facere possit, quod nos in tempore preuenire oportet, Sed Imperator et dominus vester nullam fidem habent. Nuntij. An hoc dominatio vestra ex mandato Cesaris sui aut ex seipsa dicit? Ibraim. Intelligo sic esse, et habere, quia quę promittunt non obseruant. Nuntij. Quare et cui pactum non obseruauerunt quod cum aliquo fecerunt? Ibraim. Regi Gallię et Pontifici. Nuntij. Qua necessitate adactus est Cesar pacisci aut concordare cum Rege Gallię cum ille fuerit in vinculis Cesaris? Ibraim. Quia Cesar Regem Gallię relaxari iussit causa mittendi oratores quos postea non attento saluoconductu quem regi dederat captiuari et detineri iussit. Nuntij. Nos de nullis oratoribus audimus sed de filijs et primoribus Gallię principibus vtique fama est, quos Imperator ex pacto datos ob male seruatam Galli fidem retineri iussit, at non, vt oratores sed filios et obsides, quum rationabile et verisimile sit filios nunquam ad inimicos mitti vt oratores, sed tamquam obsides. Quod Pontificem attinet non videmus cur ille fidem Cesaris desyderare aut inculpare debebat, Etenim cum Cesar illum ob benefacta et bene conceptam spem in mediatorem inter se et Gallum fecerat, et eundem autem ex vinculis Regem Gallię eliberari curasse, nouumque bellum sibi adiunctis Galli copijs offerre videretur, Cesariani Pontificem tamquam aduersarium et hostem maiestatis Cesareę inuadere ceperunt, Quapropter dominatio vestra non debebat dicere Cesarem et dominum nostrum non habere fidem, Cuperemus item hominem in mundo videre et audire qui talia de eis dicat, coram quo nos offerimus semper ad hec responsuros. Ibraim. Audiui. Nuntij. Si sic est aliud est. Demum Ibraim se dixit omnia hec Cesari relaturum et quod in triduo vel quatriduo habituri essent responsum.

Postea in vigilia beatorum Petri et Pauli apostolorum Ibraim Bassa fecit nuntios ad Curiam Cesaris vocari ad quam cum venissent modo superius descripto honorifice excepti et sedere iussi in prȩsentia Bassarum et ceterorum Consiliariorum Cesarque in fenestella sua sedit, quos Ibraim Bassa ijs verbis interrogauit. Vbi nunc est dominus vester. Responderunt Nuntij. Nescimus vbi nam sit vel in Germania, Bohemia vel Hungaria, quia multum hic moramur. Ibraim. Habuistis aut intellexistis ne aliquid de eo?

Nuntij. Nihil audire aut a quoquam intelligere potuimus, cum fuerimus interclusi et a nemine potuerimus quicquam accipere. Ibraim. Scitis ne exercitum domini vestri esse profligatum? Responderunt Nuntij. Nescimus vbi et per quem. Ibraim. A Wayuoda Transsyluaniensi. Interrogarunt. Vbi et quando hoc factum est. Ibraim. Rex vester fecit obsidere Castrum Trinciniense in cuius obsidione habuit 40^{M} hominum quos omnes Wayuoda cum 36^{M} profligauit, et tormenta bellica omnia accepit, Nescitur autem vbi Rex vester nunc agat siue Pragę siue in Germania. Responderunt Nuntij. Non dubitamus quin dominus noster tot gentes contra Wayuodam mittere possit sed hactenus vltra 8000 virorum aduersus ipsum non misit. Iohannes autem si cum omnibus colonis et hominibus quos in tota ditione sua nunc habet vnacum gallinis et pullis suis insurgeret vix aut non posset facere numerum 36000. Quare dubito ficticium hoc esse famamque incertam, quam spero dominationem vestram infra triduum vel quatriduum habituram certiorem. Ibraim. Quale Castrum est Trincinium. Responderunt Nuntij. Castrum per se munitissimum, cui Nandoralbense aut aliud quoddam in tota Hungaria simile esse non affirmaremus. Ibraim. Habet ne flumen aliquod prope Castrum. Nuntij. Habet. Ibraim. Quod nomen illi est. Nuntij. Waga. Ibraim. Potest ne flumen illud abduci et in aliam partem diuerti, ita quod citra illius transitum oppugnari possit. Responderunt Nuntij. Non potest. Ibraim. Ab alio latere qualia habet propugnacula et turres, potest ne tormentis bellicis concuti et expugnari? Responderunt Nuntij. Habet multa propugnacula et fossas et aggeres tam densos et bene compactos vt Castri superfities vix bene conspici possit. Ibraim. Viam qualem habet, planam ne an angustam? Responderunt Nuntij. Planiciem nullam habet, sed viam arctam et strictam vt currus alteri obuians cedere non possit, et si 300 homines in presidio Castri locati fuerint tria millia hominum intrare volentium facile arcere possent. Ibraim. Quis consuluit domino vestro vt postquam tam arctus est Castri introitus gentes suas ad oppugnationem illius miserit, et eàsdem in perditionem voluntariam abegerit. Responderunt Nuntij. Dominus noster multos habet peritos artifices qui Castra longe fortiora nunc vsque oppugnarunt et obtinuerunt, quos semper ad Castra quę expugnare intendit prę̨mittere solet ad speculandum et lustrandum illa vbi facilior sit oppugnatio et labefactatio, ne homines multos amittat et expensas inutiles faciat, quos credimus maiestati suę consuluisse vt Castrum Trinciniense obsederit. Ibraim. Si Castrum illud haberet gentes et victualia in bona copia posset ne domino

vestro resistere per tres annos? Responderunt Nuntij. Si dominus noster Castrum hoc obsideri non fecit poterit etiam vltra tres annos retineri, Sed si fecit obsidione cingi, non solum non per tres annos sed ne per xxv dies sibi resistere poterit. Ibraim. Quamuis hoc obsederit non habebit etiam per tres annos. Responderunt Nuntij. Credat nobis dominatio vestra quod gentes domini nostri castra multo fortiora quę obsederunt non infra mensem sed ne vltra medium mensem vel ad summum xxv dies cum illis tormentis et instrumentis quę dominus noster habet in manus suas redegerunt. Ibraim. Vnde habet artifices tam peritos et cuius sunt nationis? Responderunt Nuntij. Sunt Germani, Hispani, Itali, Galli, qui multa viderunt et sunt experti, et interfuerunt bellis quę Maiestas Cesarea gessit in Mediolano Roma et plęrisque alijs Italię locis vbi multa Castra et loca et cum minore numero gentium quam 40^{M} hominum quos dominatio vestra dominum nostrum in Trincinio habuisse ait, expugnarunt, Et omnino nobis persuasum habemus, quod Castrum hoc a domino nostro obsessum non diu resistet ei sicut breui audietur. Ibraim. Quę causa est quod dominus vester nunquam quiescit et transit semper ad alia loca vbi prandet non cenat vbi cenat non dormit? Responderunt Nuntij. Dominus noster iuuenis est et iam non debet quiescere, Si vult sibi subiugare regna et prouintias necesse est, vt non subsistat aut quiescat, sed progrediatur et ordinet res suas ad vtilitatem augmentum honoris et benefitium subditorum suorum, quod vnumquemque facere decet qui regna et dominia sua amplificare querit, Quod si itidem fecissent prędecessores reges Vngarię, regnum non ita, vt nunc est, desolatum videretur. Ibraim ad Habardanecz. Dicis Dominum tuum non habere inimicum nec timere, quod diuersum arguit cum semper currat et quęrat aliquid, quod indicat eum habere inimicitias et aliquid formidare. Respondit Habardanecz. Non nego quę dixi quod dominus meus non habeat inimicos quos metuit sed audiui ab eodem felicem esse principem qui pacis tempore bella cogitat nec bonum esse vt eotunc se princeps pręparet, quando vult cum hoste congredi. Ibraim. Quę causa est quod dominus tuus nullibi habet amicos sed omnes inimicos et cum nemine bonam pacem habet sed semper discordias quęrit etiam cum fratre suo Imperatore, quodque omnium prouintias et bona sibi cupiant subiugare. Respondit Habardanecz. Credo quod nec Imperator nec dominus noster quęrunt sibi inimicos sed amicos, cum manifestum sit vobis quos inimicos potentes et magnos in manu sua captiuos Cesar habuerit nempe Pontificem et Gallię Regem quorum

vtrumque et vita et bonis priuare poterat, sed noluit, ipsosque ad pactum eorum quod obseruare velle promiserunt liberos dimisit, prouintias autem nescimus eos temere aut violenter sibi subdere quę illos iure non concernant. Ibraim. Quæ ratio est quod cum Pontifice et Rege Gallię semper agunt inimicitias et nunquam amplectuntur concordiam. Respondit Habardanecz. Imperator Romanorum et Dominus meus nunquam querunt discordias, Ipsis autem adhuc in pupillari ætate constitutis post obitum Patris et Aui eorum, Rex Gallię conabatur eos omnibus prouintijs suis hereditarijs exuere, et quod maius est dignitate imperiali postmodum adepta destituere, Deus autem pro sua immensa in pupillos pietate et clementia voluit quod se defenderent et ipsum in captiuitatem redigerent in qua facile illis fuisset priuare eum vita et bonis ac regno si modo voluissent. Rex vero Gallię pacto suo non satisfecit, eique inposterum cauendum est ne sibi quę meruit eueniant. Ibraim. Et hunc pauperem presbyterum a quo habetis originem fidei vestrę quare ceperunt et tam impie tractauerunt, Vides ne istum summum presbyterum nostrum qui in consilio Imperatoris est, quantus ei exhibeatur honos, et quam bene ab Imperatore tractetur, Non ne ij vindictam dei timent secuturam? Respondit Habardanecz. Summus Pontifex ex consuetudine non deberet seminare discordias sed offitium illius est vt vbi membra quedam Christianitatis et Ecclesię inter se pugnare et discordare videat illa vnire et pacificare studeat, nec deberet exercitum ducere et bellare sed in Ecclesia dei sedere et orare, Nec satis erat hunc Cesari rebellare, nisi et Regem Gallorum a pacto suo quod se obseruaturum sancte promiserat dehortatus esset et auocasset, Quoad hunc sacerdotem vestrum supremum, video dignitatem et honorem qui habetur ei, Opinor autem quod si tantum thesaurum et tot prouintias haberet tantumque posset quantum Pontifex noster qui cum duobus etiam tribusue regibus potentia certare ausus erat, iandiu vitam illi ademisset vel suspendisset, ne sub se haberet tantam vnius potentiam. Ille autem Summus sacerdos vester habet victum et amictum pro dignitate et persona sua honorificum et nihil vltra. Imperator vero noster Pontificem dignitate pontificali non priuauit, sed prouintias tantum ademit ex quibus ei rebellauit ne simile posthac faciat. Ibraim. Imperator et dominus vester quid vltra quęrunt, Volunt ne toti orbi dominari aut se pro dijs reputari, an nesciunt se esse mortales? Responderunt Nuntij. Pro Dijs se minime reputant aut reputari volunt, seque humiliter et submisse gerunt, sed quę illos iure concernunt, habere laborant non aliena.

Ad Imperatorem deinde ductis porrectaque pro more manu Ibraim sequentia retulit. Potentissimus Imperator noster per me intellexit omnia domini vestri petita tam scripto quam verbo prolata, qui non cogitabat vos hucusque retinere, sed cum interea temporis aliqua inciderint noua vos retineri iussit, Iam ad dominum vestrum libere redire potestis, Quam vero viciniam et amicitiam Imperator cum Rege vestro habere voluerit ex literis suis clare percipiet. Postea Imperator vocato ad se Ibraim Bassa dixit ei nonnulla quę Ibraim ijs verbis reddidit. Dominus vester hucusque non sensit amicitiam et viciniam nostram sed deinceps sentiet, idque aperte domino vestro dicere poteritis, quod ego personaliter veniam ad eum cum omni vi et potentia et in propria persona mea ipsius etiam personę reddam Castra quę a me petijt. Ergo admoneatis eum vt singula prępparet et adornet, quo nos bene tractare possit. Responderunt Nuntij. Potentissime Imperator Gaudium maius domino nostro afferre non poterimus, quam maiestatem vestram personaliter esse venturam, idque læto animo accipiet, Si veniet maiestas vestra vt amicus et bonus vicinus, tractabit eam vti bonum vicinum amicum et potentissimum Cesarem, Si autem venerit vt inimicus procurabit eandem tractari vti inimicum tam potentem qualis est maiestas vestra, Nam qui hactenus ad dominum nostrum venerunt causa bonę amicitię tractati sunt tamquam boni amici, qui vero causa inimicitię, iam scit maiestas vestra quid cum eis factum fuerit, Vnde non nisi magnum gaudium domino nostro de aduentu maiestatis vestrę afferre poterimus. Respondit Cesar. Iam habebitis literas quibus habitis bene poteritis ire.

Hijs vero domum euntibus et per triduum expectantibus literas, applicuerunt Oratores Venetorum cum multis muneribus ad Imperatorem Turcarum et Ibraim Bassam et apud Ibraim ijs verbis orauerunt. Intelligimus Oratores Regis Ferdinandi ad maiestatem vestram venisse, animo ineundi pacem et inducias cum ea, ij vero veri oratores aut legati non sunt sed exploratores, qui si veri oratores fuissent Rex ipse gentes suas contra nos non misisset, neque se pro bello ad futuram ęstatem contra maiestatem vestram gerendo prepararet, cum bene sciat nos a multis annis maiestati vestrę tributum soluisse et propterea nos esse subditos maiestatis vestrę, qui si bonam amicitiam cum maiestate vestra habere desyderaret contra nos non bellaret, et si oratores isti nunc dimittuntur ipse Rex ad futurum autumnum cum exercitu suo omnia Castra finitima quę maiestas vestra habet recuperabit, quan-

tisper autem retinebuntur exercitum nullum mouebit, Quod reliquum est, plęraque nunc in Curia maiestatis vestrę viderunt, eiusque negotia et conatus sunt scrutati, et si redeant ad dominum suum, facient eum plures gentes et cum meliore apparatu habere, quare consulimus vt ij nullo pacto dimittantur, Exercitum autem quem Rex ille contra nos misit non dubitamus iam tandem esse profligatum, qui licet deuictus et fusus fuerit, statim mittet alium maiorem, Interea vero donec apud se exploratores illos continuerit nihilque comperti habuerit de mente et resolutione maiestatis vestrę non poterit aliquem contra maiestatem vestram exercitum facere, Sed maiestas vestra poterit exercitum suum ad quascunque regis illius prouintias mittere cunctaque ad libitum suum facere, maxime vbi exercitus ejus fugatus et attritus fuerit. Ad que Ibraim respondit. Iam Cesar dimisit illos sicut scitis nec vobis est incognitum quantas expensas quotidie facere coactus sit pro illorum intertentione, quos si non habito respectu verbi sui Cesarei et saluiconductus quem a Cesare habuerunt retinere conaretur, honestum censeri non posset, Quomodo ergo vos putatis illos retinendos? Super quibus Veneti duos vel tres dies petierunt ad deliberandum quo pacto ij essent detinendi. Quibus elapsis ad Curiam Cesaris redeuntes Ibraim Bassę significarunt, se modum illos retinendi alium reperire aut excogitare non potuisse, quam quod eisdem renuntiari faceret vt postquam dominus eorum alios ad Turcum nùntios misisset qui nunc in itinere constituti essent, expectandum eis esset, donec et illi venirent, quibus adiunctis et auditis omnes simul essent absoluendi et dimittendi. Ad quos Ibraim. Quid autem de expensis quotidianis? Veneti promiserunt eas se facere velle, easque fecerunt, Quod cum nuntij regij intellexissent atque vt illas conduplicarent, fecerunt omnia altilia ceteraque id genus gulę irritamenta per totam Ciuitatem disquiri et quocunque reperta essent pretio coemi, Pro qua detentione Veneti ipsi Ibraim Bassę sponte sua promiserunt Centum mille florenos et pro Cęsare lapidem quendam pretiosissimum Venetijs existentem quem ab eis a multis temporibus habere cupit.

Post hec misit Ibraim interpretem suum ad nuntios quibus hec nuntiari iussit. Licet Cesar vobis nuper abeundi copiam fecerit, nunc autem accipiat regem vestrum alios ad maiestatem suam oratores et nuntios destinasse, qui inpręsentiarum in via sunt constituti, vos expectare iussit, donec illi veniant, quibus auditis vos simul omnes postea remittet. Responderunt Nuntij. Impossibile videtur nobis Regem nostrum alios nuntios mittere

cum tam amplo et sufficienti mandato nos munitos miserit meliusque prouisos mittere nequeat, Quare si alia non subest ratio preter istam, Cesar nos non detineat cum sciamus alios non venturos. Respondit Interpres. Alia causa est quia veniunt alij Regis Polonię Oratores quos non dubitamus aliquid querelę adducturos contra dominum vestrum. Responderunt Nuntij. Cum oratoribus Regis Polonię nihil tractare habemus cum nos venerimus in negotijs domini nostri ipsi in negotijs domini sui, tamen credimus illos non venire contra nos quum sit amicus rex Polonię et vicinus domini nostri, et quamuis contra nos veniant et conquerantur nihil respondere poterimus, cum nullam super ijs habeamus a domino nostro informationem. Respondit Interpres. Deberetis aliqua respondere, cum multi sint conquesti et ex eo crederem vos celeriorem relationem obtenturos. Responderunt Nuntij. Si omnibus ijs respondere vellemus qui de domino nostro queruntur in anno finem facere non possemus, Et quod aliud est, quis esset iudex domini nostri coram quo deberemus respondere? Respondit Interpres. Imperator. Responderunt Nuntij. Imperator non est iudex domini mei et si aliquid ex sententia Imperatoris illi obtinuissent aduersus dominum nostrum quis faceret executionem. Respondit Interpres. Nescio.

Hoc finito exijt a nuntijs, Post octauum vero diem quę fuit dies 22 Septembris anni prędicti venit orator Regis Polonię qui 18 Octobris in conspectum Cesaris adductus est, Cui in hec verba supplicauit. Sciat maiestas vestra quod modernis temporibus Imperator Romanorum Summum Pontificem Catholicę fidei caput a quo vigor totius fidei Christianę procedit in captiuitatem redegit, quem fortassis vsque etiam morti tradidit. Ipsę gentes Alemanicę quandam sectam erroneam assumpsere quę nec Catholica nec Mahumetica censeri potest, quę si Catholicę essent contra Christianos minime bellarent si vero Mahumeticę contra Maiestatem vestram arma mouere non intenderent, Qui inquam Imperator Romanorum Carolus fratrem suum minorem Ferdinandum nomine regno Hungarię regem prefecit fugato rege naturali Iohanne alias Wayuoda, nobiscum etiam bona pace neutiquam frui vult, Preterea notum sit maiestati vestrę quod et pater Ludouici Regis qui bello interijt fuit ex progenie inclitę gentis Polonorum cuius vxor licet fuerit Natione Germana Regium tamen decus sexum femineum concernere non videtur, Sed de lege syncera modernus rex Polonię et dominus meus regno Hungarię prędesse deberet. In tanta autem controuersia et disceptatione voto frui non potest, Igitur me vt oratorem ad maiestatem vestram misit eamque

orat et precatur, vt parato exercitu suo ad ęstatem futuram contra Germanos exire dignetur, Dominus etiam meus Polonię rex vnacum genero suo inclyto Iohanne Rege fugato quantum poterit exercitus preparabit et ope auxilioque maiestatis vestrę cum germanis conflictum inibit quibus superatis et regno pulsis maiestas vestra quem voluerit in regem regni statuat vnde maiestati vestrę annuus census accrescat. Oratione finita honorifice congregationem exiens quam lautissime tractatus est.

Auditis itaque Venetorum et Poloni Nuntijs Ibraim Bassa misit quendam Secretarium ad Nuntios regios, qui dixit. Orator Regis Polonię qui heri apud Cesarem fuit ait se vos ambos bene cognoscere et (ad Weixelberger conuersus) te dicit esse Sigismundum Dietrichsteiner qui multa Castra et oppida habet in Germania et es primus Secretarius et Consiliarius Regis Ferdinandi. Ad Habardanecz autem sic inquit. Contra Turcas in tota Hungaria nullus est te peritior in armis et Castra finitima que adhuc spectant ad Regnum Hungarie tu tenes, et non venisti huc ob aliam causam quam vt explorares statum Cesaris quomodo sedet in equo et quomodo stat Curia sua, vt pro certo singula posthac referre possis, nec est quisquam in Hungaria qui tantum persecutus sit Iohannem Scepusiensem preter te, Qui si nunc abires ad dominum tuum duplicares omnes vires ipsius tam contra Cesarem quam contra Wayuodam, Idque ab oratore Wayuodę certo intelleximus quod non desistis nec desistes impetere et persequi gentes Wayuodę ergo si tu emissus fueris hoc idem nobis Turcis facies. Respondit Habardanecz. Imperator Turcorum scit Regem nostrum potentissimum principem in Christianitate et ob id non decuisse, quod mitteret oratores paruę existimationis et fidei sed potius fideles intimos, ac spetialiter gratos. Dietrichsteiner habet post dominum nostrum multa dominia et bona et est in bona gratia regis sed hic non est Sigismundus quem vos putatis. Quod me rex Polonię tantopere commendat et laudibus effert a rebus gestis contra Turcos non promerui erga Serenitatem suam neque me vnquam oculis, quod credam, vidit, Confinia vero Imperatoris Turcorum me melius agnoscunt quam rex Polonię cum a pueritia nutritus et educatus sim in vicinia Turcorum quos me persecutum esse meque vicissim ab eis insectatum fuisse non infitior, Sed quod me dicit exploratorem Respondeo dominum meum habere multos exploratores qui si intrant Turciam non habent saluumconductum ego autem sub saluoconductu aperte veni et hic egi publice non latenter sicut solent exploratores, Si domino meo per me non nuntietur Imperatorem sedere in equo

et Curiam habere sciet ex alijs, Quę est itaque exploratio mea? Iohannem Wayuodam persecutus sum vt inimicum domini mei. Quod me vero dicit conduplicaturum vires domini mei tam contra Turcos quam Iohannem si eliberatus fuero, Certum est, quod si tam timidus esset Imperator Turcorum quam est Wayuoda non debebat me emittere, Quid ergo de alijs faciet qui cum longe maioribus copijs et viribus equitant si me metuit qui cum 20 aut paulo plus equitibus eo. Respondit Secretarius. Non dubito quin et vos cum bona resolutione sitis ituri.

Post recessum Oratoris Poloni Imperator iuit ad venationem in qua 32 dies moratus est, rediens per viam qua erat hospitium nuntiorum fecit eos videre Ianiceros et omnem comitiuam cum qua solet ire venatum, Altero die Ibraim Bassa equitauit per eandem viam, quem Habardanecz aggressus et allocutus est, vt postquam Cęsar dimisisset eos nec vllam amplius subesse credat rationem quę eos retinere deberet, attento pręsertim saluoconductu et verbo Cesareo quod Cesarem crederent irritari minime passurum, Rogauit eum vt tandem curaret eos emitti. Respondit Ibraim vt per triduum adhuc expectarent, quo exacto misit Chaus Bassam cum Secretario quodam et literis referentem nomine Cesaris quod licet Cesar alias ore proprio iussisset nuntios ire domum interea tamen causas aliquas emersisse, propter quas eos vsque in hunc diem retineri mandauerit, quodque istę essent litere quibus Cesar omnem suam voluntatem et intentionem regi nostro denuntiaret et abijt.

Secretarius autem nonnulla cum Habardanecz contulit, nempe quales rex noster haberet Consiliarios qui consulant ei amicitiam Cesaris Turcarum cum restitutione Castrorum, cum certo certius sit Turcum nihil prorsus eorum ex manibus suis dare quę armis occupauit, Qui si Colericus et tam iracundo animo esset vti pater eius fuit, fecisset nuntios minutim succidi, Ideoque se bene videre quod rex noster nolit amicitiam Cesaris.

Cui Habardanecz ait. Regem nostrum tales habere Consiliarios qui recte ei consulant quorum consilio nihil adhuc perdiderit, multa acquisierit, Seque sperare in auxilium diuinum et consiliarios regios quod negotia domini regis nostri taliter succedere deberent, vt si Turcus postea cupiat habere amicitiam regis, eam amplius consequi non possit. Seque ob id magis mirari de consiliarijs Turci quod ipsi ea petunt a domino rege quę impossibilia sunt vtpote quod cedat Hungaria que iure optimo sibi debetur.

De contentis in literis Cesareis se nihil scire, hęcque omnia se ad regem nostrum (modo securitas itineris concessa fuerit) delaturum.

18 Septembris venerunt noua in Turciam Imperatorem Romanorum esse mortuum et regem nostrum iuisse ad tumulandum eum, propter que fecerunt magna festa et eiaculationes tormentorum.

BEILAGEN.

I.

Inuentarium der Brieff vnnd Schrifften, So in weilennd Herrn Leonharden von Harrach Ku Mt rc. Hoffcanntzlers behausung zu Wienn, durch sein gelassne Wittib angezaigt, vnd gefunden worden, vnd auf Ku Mt rc. vnnsers genädigistn Herrn beuelh durch vnns, Felician von Petschach, Seiner Mt Rate, vnd Georgen Diemer, Camer Secretarien Summarie beschriben sein, wie hernach. Actum den xviiij Decembris Ao rc. im xxvijten.

Wien, 19. December 1527.

Aus dem Originale im k. k. geheimen Haus- Hof- und Staats- Archive. Die mit kleinerer Schrift gedruckten Anmerkungen sind von anderer Hand.

1. Zetln das Khunigreich Hungern betreffent,
2. Behaim vnd Marhern betreffent,
3. Zyffer,
4. Aydbuech, } Der Kun Mt auf Irn beuelch zuegeschikht
5. Hungarisch Sachen vnd Tractat,
6. Brief das Kunigreich Hungern betreffent,
7. Brief behamisch Sachen betreffent,
8. Canndtschafft in Steyr beschwär Artickhl,
   Ist der Regirung zuegestellt laut Kr Mt beuelchs vnd Öders bekanntnus
9. Zetln Kaiserlicher Mt Italisch Sachen Capitulation vnd annders betreffenndt,
10. Allerlay gemain aufmerck zetln,
11. Senndbrief an die Ku Mt die beratschlagt sein,
12. Senndbrieff an die Ku Mt vnberatschlagt,
13. Supplication So beratschlagt sein,
14. Supplication vnberatschlagt,
15. Ain Sackh darjnn Senndbrieff Hungern Behaim Slesy rc. betreffent,
16. Ain Sackh darjnn Behamisch Sachen,
17. Ain Sackh darjnn Ku Mt sachen durch Petschacher verpetschadt,
    Ist der Kun Mt auf Irn beuelch zuegeschikht
18. In ainer Scatl Ku Mt treffenlich brieff, item ain pergamener lateinischer brief, Inhaltend ain Meldung, Confederation zwischen Behaim vnd Polln, vnd etlich new Artickhl, So die Ku Mt mit dem Polnischen Orator gehanndlt, mit desselben Orator, vnd des Behamischn Canntzlers Sigiln, vnd hanndschriftn gefertigt,

Mer ain pergamener brieff in Behamischer Sprach geschriben, mit weilennd Kunig Ludouigs hanndschrift vnd Sigill gefertigt,

*

Khu M^t Gwaltsbrief, vnd Instruction auf seiner M^t Oratores zu der hanndlung mit des Kunig von Poln Oratores auf dem tag gen Olmuntz mit beyligennder abschrifftn des erstgemelten briefs die Behamisch vnd Polnisch Confederation belangendt,

Kaiser Karoln Lehenbrief des Kunigreichs Behaim auf Ku M^t ꝛc. lauttennd mit erstreckhung der Lehenspflicht auf ain jar von dato des steht den xxvj^ten nouembris Anno ꝛc. im Sechsundtzwainzigistn,

Dise Scatl sambt den innligenden briefn, sein zu andern K^r M^t treffenlichn briefflichn Vrkunden, in das briefgewelb in der Purkh zu Wien, gelegt,

19. Luterisch vnd annder sachen,

20. Etlich Schrifften vnd brief die Lannd Pollicey betreffenndt.

II.

Schreiben König Ferdinands I. an seinen Rath Felician von Petschach.

Gran, 5. Jäner, 1528.

Aus dem mit den Unterschriften König Ferdinands I. und Johann Ferenberger's, königlichen Secretärs, versehenen Originale im k. k. geh. Haus-Hof- und Staats-Archive.

Vnnserm getrewen lieben Felician von Petschach vnnserm Rate,

Das Siegel wie es zu dem in dieser Sammlung (GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I. 1527. *S.* 58) *mitgetheilten Schreiben König Ferdinands I. beschrieben ist.*

Ferdinand von gottes gnaden, zu Hungern vnd Behaim ꝛc. Kunig, Infant in Hispanien, Ertzhertzog zu Osterreich, Hertzog zu Burgundj ꝛc.

Getrewer lieber. Dir ist wissenndt, wie vor etwas verschiner Zeit, vmb ain Turckhisch gleit, auf ain potschafft hinein zesennden, gehanndlt, Welhes auch bewordben, vnnd zu vnnsern hannden gestellt, Vnns ist auch ingedennckh, das sölh glait, durch den Munch, sambt ainer Translation dauon in welscher Sprach, vberantwort worden, Wir haben aber allein das gleit, on die Translation, noch bey vnnsern handen, zůuersichtlich weilend vnnser HofCanntzler Lienhart von Harrach hat die bey anndern vnnsern schriften in verwarung gehabt, darunder Sy noch, vnnd zůuersichtlich in dem Sackh, so in deinem gemachten Inuentary de N° .17. zefinden, Demnach ist vnnser beuelh, das du vnns denselben Sackh, vnnd dartzue die Ziffer, vnnd Aydbuch, mit N° .3. vnnd .4. bezaichent, alles verpetschafft, wol eingemacht, furderlich bey der Posst zueschickhest, Vnnd nichtsdestminder, sofern du auch ain Translation bemelts Turckhischen Glayt, als wir vnns versehen, bey hannden hast, dieselben vnns auch zuesenndest, Daran beschiecht vnnser Ernnstliche Mainung, Geben zu Gran, am Funfften tag January, Anno ꝛc. im xxviij^ten, Vnnserer Reiche im Anndern.

Ferdinandus

Ad mandatum Domini
Regis proprium
J. Ferenberger

III.

Schreiben Desselben an Denselben.

Gran, 14. Jäner 1528.

Aus dem Originale wie Nr. II. Auch Adresse und Siegel wie bei Nr. II.

Ferdinannd von gottes gnaden zu Hungern vnd Behaim ꝛc. Kunig Infant in Hiſpanien Ertzhertzog zu Oſterreich Hertzog zu Burgundj ꝛc.

Getrewer lieber. Den Sackh vnnd ſchrifften aus weylennd vnnſers HofCanntzler Lienharten von Harrach inuentierten hanndeln, Auch die Abſchrifft des Turckhiſchen Glaits ſampt der Relation wie ſolhs geworben iſt, vnnd du vnns auf vnnſern Beuelh zugeſannt, haben wir yetzo alles ordenlich emphanngen, Vnnd tragen deines getrewen fleiſs, den wir in dem vnd in anndern Sachen ſpuren vnnd vermerckhen, ſonnder gnedigs gefallen, Wolltn̄ wir dir gnediger Mainung vnantzaigt nit laſſen, Geben zu Gran den xiiij Januarj Anno ꝛc. im xxviij Vnnſerer Reiche im Anndern.

Ferdinandus

Ad mandatum Domini
Regis proprium

J. Serenberger

IV.

Schreiben Desselben an seine Schwester Maria, verwitwete Königin von Ungern und Böhmen.

Gran, 7. Februar (1528).

Aus dem von König Ferdinand I. eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Die Antwort unter Nr. V. Auf der Adresse steht von der Hand der Königin Maria: Pref. den 8ten Febrvarij. In ſein ſtatt in Vngern zu bleiben ſampt den andern.

A madame ma bonne seur la roine de hungrie et de boheme

Das Siegel wie es zu dem in dieser Sammlung (GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I. 1527. *S.* 9) *mitgetheilten Schreiben König Ferdinands I. beschrieben ist.*

madame ma bone seur humblement et de bon ceur a vous me recomende

madame ma bone seur en considerant dernierement a la diete et asemblee tenue a bude les afaires de cestuy roiaulme et voiant quil na pour le present plus grant que de se aprester pour la defense de celuy contre le turcque principalement puis quon entent et auons euez beaucop despies et explorateurs lesquels conforment en afermer sa venuee en persone a cestuy roiaulme et disputant de remmede na semble estre possible resister sans deulx choses lune de ieter hors le waiwoda et lautre de auoir bon et grant nombre de gens estrangieres comme alemans et bohemois et semblables et pour pourueoir au primier iay enuoie apres de nuuelles gens lesquels atens que seront ycy en

dedans viij ou x. iours pour le pouoir poursuiure et espere en tel nombre que seront sufisans auecques laide de dieu de an fere fin de luy quant a lautre article les subges de cestuy roiaulme sont ofert a feire lur deuoir selon tout lur puisance et mon prie que ien voluse faire le semblable principalement auecques estrangiers et en bon nombre sans lesquels ne veoient moien de pouoir resister contre vng sy grant enemy et ie les remostray que il nestoit en mon pouoir de recouurer tant de gens que fusent sufisans pour resister a tel enemy sans ce que ie alase tant a mes pais comme a boheme et lempire car sans ma presence ie nay nul espoir dauoir aide que soit daparance ou importance et puis que sans gens estrangiers ne se pouoit defendre cestuy roiaulme et que ie nauoie espoir de nulle aide bonne sans ma presence que me sembloit pour lur propre bien que cestoit necesaire que ie alase a mes pais dautrische et de la a boheme et a la fin a lampire dont iesperoie que auecques laide de dieu ien porey impetrer ayde que fut de importance et sufisante auecques ce que on poura faire au pais pour resister audit turcq et lesdits hongrois furent contens que puisise aler ausdits lieux pour demander securs mes que ie laissese primier faite la fin du waiuoda ov pour le moins vng bon et sufisant nombre de gens que le doiuent faire en mon absence et aussy que ie veulle laiser les confins prouus doficies et capitaines selon la coustume du roiaulme et aussy bon ordre et personne sufisante a mon absence auecques mes consilliers selon que on veroit estre necesaire quant aux deux primiers articles a sauoir de poursuiure le waiwoda iay fait la prouision que poes auoir entendu cy desus quant a pourueoir les ofices et confins iay aussy fait par tout oficies et mis de gens sufisantment et mieulx que ni fut oncques quant au troisieme de laissier persone en mon absensce parlay aussy auecque eulx et a eulx et a moy me sembla ne pouuoir trouuer nulle millure ne plus ydoine que a vous madame ma bonne seur voiant que me puis bien fier et aussy vostre entendement et reputacion et lesperience que aues aux afaires et le regart et creinte con ara a vous et lur sembloit que le palatin deuoit aussy demourer a causse de lofice ensemble autres oficies et consilliers du roiaulme selon con trouueroit en conseill de lautre couste estoit pesse et principalement par ceulx que regardent et aiment vostre personne que sy moy estant absent aduit quelque fortune au gens de guere ou que les tourcqs vinsent au pais que vostre personne pouroit estre en quelque dangier et aussy voiant la petite foy qui y a en ces gens come bien saues et les groses praticques et parties que le waiwode a et meine en cestuy roiaulme et que sy pouoit faire quelque chose contre vostre personne aroit le ingnauie lon disputoit du lieu de vostre demure sy deuoit estre a boude comme le lieu et asiete roialle ou allurs et sembloit a boude estre lieu plus conuenant mais beaucop plus perillus madame ie vous ay de touts ces afaires bien voulu aduertir et aussy oir vostre bon conseil et aduis comme de bonne dame et seur et aussy comme de celle que ie say que desire mon bien et aduencement vous supliant me donner a entendre vostre intencion et aduis car sans cestuy ie ne me osaroie metre en nul tratie car ie voie le bien que de vostre demure en mon absece poroit venir de lautre couste ie crain le mal ou inconuenient par quoy ie suis parples et inresolu iusques a avoir vostre intencion et bon aduis vous supliant le me vouloir mander le plus tost que sera possible car lafaire requirt hate

et brifue resolucion et a tant madame ma bonne seur ie prie le createur donner a vous bonne vie et longue et lentier acomplicement de vos bons et vertueux desirs de strigony ce vij^{e} de feurier

vostre bon et humble frere
ferdinandus

V.

Schreiben der Königin Maria an ihren Bruder König Ferdinand I.

Neusiedel am See, 9. Februar 1528.

Aus dem eigenhändigen Concepte der Königin mit der eigenhändigen Aufschrift: Copie au roy Actum newzigl le 9^{e} feurier anno etc. 1528. *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Antwort auf Nr. IV. Beantwortet unter Nr. VI.*

Mons^{r} Iay recut vostre lettre datee de strigoingne le 8^{e} de feurier/ et entendu le contenu dicelle/ Et cant a ce que les explorateurs se conforment que le turc doit venir seste annee en se roihaulme me desplait comme la raison est tresfort car il me samble que ce poure pais a este bien flagelle mes puis que ainsy est la volente de dieu il en fault auoir pacience et luy prie nous voloir ester misericordieulx iespere ausy en luy que il vous donnera sa grace que le pores resister et offenser dont auec sa grace vostre entreprise de sercher aide men a baille fort grant espoir/ A entender ausy que aues mis en vostre absence sy bonne order tant conter les turcs comme conter le wayuode lequel na pas este la miendre verge de quoy a este bastu se roihaulme ma tresfort resiouy en esperant que dieu dora sa grace que en feres vne fin ce que luy prie de faire/ Quant au troisieme article mons^{r} de pouruoir de quelque persone a vostre absence il vous a samble que ie seroie a ce idoine et aúsy la creinte que aues daulter part de pas mester ma personne en danger/ Mons^{r} ie ne vous saroie asses humblement remercier de lonneur quil vous a plut a me voloir faire ausy de celle confiance que aues en moy ensamble la creinte que aues de ma personne/ Dieu cest qué ne poroie auoir au monde plus grant plesir sinon que vous poroie faire seruice et ne voldroie en se regarder a nul peril en quoy me poroie mester mes mons^{r} veu que ne me sens idoine cant a ma persone en ce vous pooir seruice car telles affaires ont affaire dune personne quy soie plus sage et plus vielle que moy et ausy aultres causes que pour le present ne vous veulx facher a vous escripre mes lesser iusques a ce que poray parler a vous vous suplie sy humblement quil mest posible quil vous plaise a me auoir pour excusee en regardant que pores trouuer biaucop quy en ce seront plus duisable que moy car ie ne voy pas quil me soie posible de vous en ce pooir faire fort grant seruice et me poroit venir a grandt preiudice comme vous decleray cant serons ensamble/ en aultre la ou quil sera en moy de vous pooir seruir aidant nostre s^{r} espere que me trouueres iamais aultre que come humble et obeissante seur et seruante doit ester pour laquelle ie me tiens et veulx demorer de tout le tamps de ma vie/ Mons^{r} ie vous suplie de me pardonner que ay tenu ce porteur sy longuement et ausy sy ie ne fay *(Das Übrige ist durchstrichen.)*

VI.

Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria.

Gran, 17. Februar (1528.)

Aus dem Originale wie Nr. IV. Auch die Adresse wie bei Nr. IV. Das Siegel ist abgefallen. Antwort auf Nr. V.

madame ma bonne seur humblement et de bon ceur a vous me recomende

madame iay receu vostre letre responsiues aus mienes touchant de vostre demure en mon absence et par celes entendu les causes pourquoy vous veulles excuser et principalement disant estre trop ione et peu experimentee et que seroit besoing dauoir persone de eaige et entendement alegant aussy plusiurs autres causes que remetes iusques a nostre asemblee madame les causes de vostre excusacion me semble nestre point sufisantes car ie vous conois et say se que sauez et desirez a faire pour me complaire come ie voudroie faire pour vous quant besoing seroit par quoy iespere que veudres encoires acepter ladite chargie des causes que remetes a nostre venue ien suis bien content de atendre iusques asture la et espere estre furny de response de sorte que eles ne seront sufisantes et remes tout ledit afaire iusques a ma venue devers vous quespere sera le primier samedy de caresme et a altemburg asture la parlerons du tout et ay espoir que faires ce que verez estre pour le mieulx pour le bien et surte de mes afaires et aussy pour la surete de cestuy roiaulme asture la parlerons au long du tout auquel iour me remes et a tant madame ma bone seur ie prie le createur vous veulle doner bonne vie et longue de strigonio ce xvij iour de feurier madame il ma semble trop mieulx de parler a vous en pasant et en altemburg que aultrement pour les causes que entendres de moy quant serons ensemble

vostre bon et humble frere
ferdinandus

VII.

Schreiben Johann Hoberdanacz's an König Ferdinand I.

(Türkisch-Brod), 9. April 1528.

Aus dem Originale im k. k. geh. Haus-Hof- und Staats-Archive.

Serenissimo Potentissimo Ac Invictissimo Domino et Domino Ferdinando Dei gracia Hungarie et Bohemie regi etc. Domino meo naturali et graciosissimo presententur cito cito

Vom Siegel sind nur grüne Wachsspuren vorhanden.

Perpetuorum et humilium Seruiciorum meorum fidelium perpetuam reconmendacionem Serenissime Ac Invictissime Princeps et Domine Domine mihi naturalis graciosissime Hesterna die presentate sunt mihi littere vestre Serenissime Maiestatis ex Viena

misse in quibus Maiestas vestra Serenissima mihi scribit quod Dominus Tezaurarius mihi illa munera misisset, quod ipse minime fecit, expectaui autem vsque hunc diem, sed ipse neque misit munera neque mihi aliquam relacionem fecit, Iam ego propter breuitatem temporis vlterius expectare non potui sed absque illis recessi, Sciat autem Maiestas vestra quod hodierna die intraui inturciam vbi ad huc in portu Zawe obuiam venerunt mihi Turci plusquam trecenti optimo cum apparatu, et maximo cum honore susceperunt me, spero autem in Deum omnipotentem quod omnia negocia bonum finem habebunt nisi aliqua difficultas propter illa munera fieret que debebamus presentare illis duobus Sanchachijs, Nouitates ad huc nullas possum Maiestati vestre scribere quia nichil ad huc intelexi, sed Maiestatem vestram prope diem eciam de nouitatibus certum faciam, Maiestati vestre Serenissime humillime conmendo me et perpetua fidelia Seruicia mea, Ex portu Zawe in die cene Domini Anno Domini milessimo quingentessimo vigessimo octauo

Eiusdem Vestre Serenissime Maiestatis

perpetuus ac fidelis seruitor
Iohannes Hoberdanacz

VIII.

Schreiben Thomas Szalaházy's, Bischofs von Erlau und ungrischen Hofkanzlers, an Denselben.

Ofen, 15. April 1528.

Aus dem durchaus eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats- Archive.

Sacrę Maiestati Regię Domino meo clementissimo

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen Szalaházy's.

Serenissime Rex Domine Clementissime

Post humilem seruitutis meę commendationem, Secretarium cui per absenciam Maiestas vestra, huius Regni negocia, post Dominum Varadiensem possit committere, neminem hoc tempore magis idoneum habere potui quam Dominum Georgium Loxanum vestrę Maiestatis consiliarium, qui et mihi veteri est amicicia iunctus, et huius Regni, hominumque nostratium, Mores, instituta, consuetudines, non secus habet exploratas quam si esset Hungarus, vtpote qui multos hic annos apud Serenissimos Maiestatis vestrę precessores, Secretarij officium exercuerit, quodque hijs omnibus pluris est mihi faciendum, Maiestatem vestram singulari quadam fide ac veneratione colit ac prosequitur, Iccirco non dubitaui hominem antea satis sua virtute commendatum, hoc quoque nomine commendare Maiestati vestrę, Diligens est, ingeniosus, et qui Hungaros, Boemos, Morauos, ac Slesios suos eque nouerit,

Preterea, Serenissime Rex, venit hodie explorator Iudicis Cibiniensis quem ad Maiestatem vestram expedimus, A quo tum de Turcarum conatibus tum de perfidia ac scelere Ioannis Zapoliensis multa intelliget Maiestas vestra, vtcunque res habeat, non

paruus tamen metus est iniectus Transsiluanis, Habardanecz et eius collega iampridem sunt ad eorum legationem absoluendam profecti, et vt certo mihi est renunciatum, venient expectatissimi, Adeo vt mihi Moldaui fama, quam hęc exploratoris de Turcarum aduentu, videatur verisimilior, quamuis hostibus omnium qui vnquam fuerunt callidissimis non sit confidendum, Laboramus nunc in expeditione Valentini Therek ad Comitatum Themesiensem, et quantum video, erit contentus ea conditione quę nunc offertur, vsque ad reditum Maiestatis vestrę, Bachia nunc vehementer eget presidijs, quo Vicepalatinus simulatque istam prouinciam Trinchiniensem absoluerit, mittendus erit, sed summa difficultas est, ex rei pecuniarię inopia, Trinchinium quo in statu sit ex literis et nuncio Vicepalatini Maiestas vestra accepit, Dominus Thesaurarius hodie est in Transsiluaniam profecturus, Itidem Oratores Dominus prepositus Albensis et Orzag expedientur, Ex literis Domini Casparis Horwath data mihi spes optima est, de subsidio A Transsiluanis impetrando, Dominus Wayuoda accepit in deditionem Castrum Dewa, refertum vt audio rebus Ioannis Scepusiensis prout Maiestatem vestram Dominus Vayuoda intra paucos dies, vt spero, clarius de re tota edocebit, Deus Maiestatem vestram seruet fęlicissimam, Budę Quintodecimo die Aprilis 1528.

Seruus humillimus
Agriensis

IX.

Schreiben Desselben an Denselben.

Ofen, 26. April 1528.

Aus dem Originale wie Nr. VIII. Auch Adresse und Siegel wie bei Nr. VIII.

Serenissime Rex Domine clementissime

Post humillimam seruitutis meę commendationem, Hac ipsa hora redditę mihi sunt literę Ioannis Habardanecz Ad Maiestatem vestram, quas statim ad manus cursoris dedi, Monuique hominem vt si vnquam properauit alias, nunc maxime curaret has literas ad vestram Maiestatem summa celeritate perferendas, hinc euenit quod alias literas vberiores dare ad Maiestatem vestram non potui, Est hic Dominus Leonardus de Nagarolis, proposuit Mandata vestrę Maiestatis, hac nocte venit Dominus Strigoniensis, laboramus quantum fieri potest, Dominus Turzo negat nihil, Munera quę Ibraymo etc. destinata erant, quod mitti non potuerint, aut missa, ad manus Habardanecz peruenire nequiuerint, supra quam dici aut excogitari potest doleo, propterea quod illi homines apud Dominum eorum possunt omnia, Spem bonam videtur Habardanecz polliceri, Deus Maiestatem vestram seruet et nobis reddat fęlicissimam, Artellaria Ante dies aliquot peruenit ad exercitum Maiestatis vestrę, adnitentibus precipue Petro Doctore, et Ecclesię meę Seruitoribus et subditis, Recuperata est in itinere Zarwaskew, Milites vestrę Maiestatis qui sine stipendio hinc erant profecti, tota et integra preda quę non parua fuit, sunt potiti, Redacta in potestatem Domini Vayuodę Dedes, quę arx post Coronationem

vestrę Maiestatis ad Manus Zapoliensis per negligenciam aut proditionem deuenerat, Redijt hęc arx absque labore aut vi aliqua ad Dominum Petrum Pereny, industria dicti Petri Doctoris, et mea, nam is qui arcem hanc tenebat, meus fuit famulus, Captiuos habet diuus Ioannes Euangelista cuius ecclesiam tot modis vexauerunt, et Maiestas vestra, cuius Imperium superbissime contemnebant, Captiuos inquam habet in Arce Agriensi Franciscum Erchy, et Petrum Erdewdi, fratrem Domini Zagrabiensis, Castellanos Zarwaskew, Budę in dominica Misericordia domini 1528.

Eiusdem Maiestatis vestrę

Seruus humillimus
Agriensis

X.

Schreiben Desselben an Denselben.

Ofen, 28. Mai 1528.

Aus dem Originale wie Nr. VIII. Auch Adresse und Siegel wie bei Nr. VIII.

Serenissime Rex Domine clementissime

Post humillimam seruitutis meę commendationem, Ex literis communibus Maiestas vestra intelliget res nouas de Turcis, Addidit is qui hodie fuit adductus explorator me percontante, Cęsarem Turcarum cupidissimum esse pacis cum Maiestate vestra ad tempus faciendę, sed ne vani sint hij quos fecit apparatus, Ioannem Habardanecz lentis admodum et paruis itineribus duci, apud prefectos lautissimis conuiuijs excipi, et vbique dies plusculos detineri, vt antequam ad induciarum tractatus accedatur, possint Turcę eam quam constituerunt facere eruptionem, Explorator Domini Ladislai More qui vsque ad Cęsaris portam est progressus, quique in horas expectatur, certissima, vti ipse pollicetur, Afferet,

Caspar Seredi dedit ad me quasdam literas vnde Maiestas vestra intelliget nouos hominum motus in partibus Regni superioribus, Concessa sunt alia quę petit visumque est Consiliarijs Maiestatis vestrę vt vnacum Francisco Bebek et Cassouiensibus cohibeant rebellionem, accedet pars mearum copiarum, nam alteram partem cum Valentino Terek ad Themeswar sum missurus, addet vt spero suos Dominus Andreas Bathory, Cassouiensium consilium de igne in duas tres ve domos terroris causa iniciendo non placuit, ne odium populi magis ac magis in nostros inflammaretur,

Hodie nobilis quidam Comitatus de Bereg quem Comitatum vna cum arce Munkach Paulus Arthandi habet in potestate, certo mihi retulit, Stephanum Bathori et Michaelem Iakchy, in Poloniam ad Ioannem esse profectos, quo consilio incertum est, An vt hominem sicuti vulgus opinatur reuocent, an vt ab eo missionem impetrent, An vt merentem consolentur, quin etiam fama illis in partibus percrebuit, proximo die Pentecostes Ioannem in arce Munkach futurum, Paulus Arthandi et eius sectatores saluumconductum vestrę Maiestatis, ac Serenissimę Reginę, neglexerunt, Vtinam singularem aliquam

cum Regni commodo rationem ineant, gratię Maiestatis vestrę obtinendę, Mihi non magnopere displiceret, si audirem Ioannem in Munkach Pauli esse conuiuam et hospitem, quamuis vt presens huius Regni status est, nollem vt in turba appareret, vulgo hominem aut aperte, aut tacitis suspirijs efflagitant, Quod si Turcę eodem tempore quo ipse veniret, iunctis viribus non parum possent ad extremam huius Regni euersionem, presertim si Maiestas vestra diutius opinione nostra cogeretur abesse, Deus vestram Maiestatem seruet et reducat incolumem, Cuius gratię me commendo humillime, Budę xxviij Maij Anno Domini 1528.

Eiusdem Maiestatis vestrę

Seruus Humillimus
Agriensis

